



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**


Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Servitus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Sunt tamen & maritalis vitæ indicia, propriæque similitudines catenæ, quæ pedibus, quæque manibus injiciuntur. Nam pedicæ vitæ liberioris progressum impediunt, hominemque intra certæ rationis ergastula cohibent, neque licentius evagari permittunt. Manicæ vero sunt negotiorum impedimenta, quibus implicari necesse est familia: patrem, fratrem, liberos, domumque suam recte administratam, institutamque velit.



Hinc Sententia in dialogo affectus & rationis, comp. des. aut eas uxorem formosam vocat, & Horatius amicam formosam, gratam compedem. *χρυσαι πεδιαι:*

DE JUGO. CAP. XLVI.

Inter vinculorum genera & jugum est, cujus varia omnino sunt significata. Sed quoniam de maritali vinculo quid cepimus, eidem hoc adjicimus.

PAR COPULA. CAP. XLVII.

Pro vita conjugali, vel ipso nomine rem indicante, honestiori argumento jugum accipi, Ea siquidem est conjugatio & copula maxime maritalis, unde conjugium & vincula jugalia, & parem denique conatum, curam, amoremque, & studium in confortibus esse debere indicat, atque hoc est, quod apud eruditos dictum invenias, *Pari jugo.*

SUBJUGATIO. CAP. XLVIII.

Apod Horatium jugum aheneum, pro violenta subjugatione positum reperias, ut *Carm. lib. I. Od. 33.*

*Sit visum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos sub juga ahenea
Sævo mittere cum joco.*

Nam & subjugare, militare verbum, & sub jugum mittere, passim apud historiae scriptores invenias. Erat vero hujusmodi jugi species, ut in *Armorum commentario* diximus, ad similitudinem Græcæ literæ, duabus scilicet hastis in terra defixis, tertiaque ad summum earum deligata, sub qua victi hostes omnibus armis exuti subeuntes, transire per ignominiam jubebantur.

SERVITUS. CAP. XLIX.

Invenias & pro servitute jugum poni, ac perinde pro fatigatione: unde *subdere colla jugo*, pro trahi in servitute & labores, passim apud Poetas, à Bobus nimirum sumpta metaphorâ, qui ad hoc junguntur, ut laboribus exerceantur. Hoc significato *Affertor noster*, qui calicis amaritudinem suis pollicetur, de promptæ voluntatis alacritate loquens, *suave esse jugum suum, & onus leve* proficitur.

LEGES. CAP. L.

Sunt qui per ejusmodi dictum leges intelligi putent, quod appellatione jugi legum onus fuerit etiam à Davide nuncupatum. Omnino vero leges pro subjugatione & imperio vicissim à Marone dictum: *Legesq; viris & mania ponet.* Nam qui legibus parent, similitudine quadam colla jugo subdere videntur: & qui potentiorum arbitrio subjiuntur, subire jugum identidem.

PATIENTIA. CAP. LI.

Sunt qui jugum significato patientiæ præferant, quo plurimum insigniri gavisus est *Leo X. P. M.* Cum enim ab ineunte ætate Virgilianum illud admirari cepisset, quod solitus sit ille, ut ajunt dicere, nullam homini virtutem patientiâ commodiorem esse, eam sententiam ita carmini mox inseruit:

Hhhh 3

Super-



Jugum Domini suæ.

Alias mores En. I.